
C.G.C. Reinwardt, 60k No 1 X

Fig. 1.



Fig. 2.



Vulva marina, aculeis instar pubis horrida.

RELATIO BREVIS PHYSICA DE CVRIOSISSIMIS DVABVS CONCHIS MARINIS QVARVM VNA VVLVA MARINA ET ALTERA CONCHA VENEREA NOMINATVR IN CHARTAM CONIECTA ET CVM ORBE ERVDITO COMMVNICATA

A

FR. ERNEST. BRüCKMANNO,
MED. DOCT. ET PRACT. BRVNSVIC.

CVM FIGVR. AENEIS

BRVNSVIGAE
M DCC XXII.

VIRIS
CONSVMMATISSIMIS DOCTRINA ACERRIMO
IVDICIO INCOMPARABILI EXPERIENTIA
AC RERVM VSV
PER
GERMANIAM
IMO
VNIVERSAM FERE EVROPAM
CELEBERRIMIS
OPTIME
DE PATRIA LITERIS OMNIBVSQVE BONIS
LONGE MERENTISSIMIS
ILLVSTRIBVS
SAC. ROMAN. IMP. ACADEMIAE
NATVRAE CVRIOSORVM
STATORIBVS INCLYTIS
MAGNIFICO DOMINO PRAESIDI
ATQVE
EXCELLENTISS. D. D. ADIVNCTIS
ET
COLLECTORIBVS EPHEME-
RIDVM

PATRONIS MEIS MAGNIS

AC

FAVTORIBVS GRATIOSISSIMIS

OMNI OBSERVANTIAE CVLTV

DEVENERANDIS

BREVEM HANCCE PHYSICAM

DE

VULVA MARINA

ET

CONCHA VENEREA

RELATIONEM

D. D. D.

AVTOR HVMILLIMVS

FR. ERNEST. BRüCKMANN.

VIRI

VIRI ILLVSTRES ATQVE MAGNIFICI
PATRONI AC FAVTORES
OMNI OBSERVANTIAE STVDIO DEVENERANDI

HAud ſine maxima admiratione mirabile & ſtupendum variarum concharum in altiſſima maris abyſſo degentium & viventium, ex eaque in noſtras terras delatarum, adeo affabre factum atque inimitabile arte opus conſiderare & fixis oculis aſpicere potuimus, quin ſtatim ac derepente ſummam ſummi Numinis agnoſceremus & prudentiam & providentiam, eamque omnibus extolleremus laudibus, quin & extemplo na-

tura in fingendis & procreandis illis curiosissimis corporibus submarinis, machinulisque domiportis nunquam non solertissima, ipsumque mare & litus nitore & splendore conchyliorum testaceorum infinitorum superbiens ingentem in admirationem nos raperet. Inter varia autem & præstantissima horum marinorum genera, quæ fundo maris valedixere & in Museum nostrum aditum fecere, sibique ibi locum elegere fixum, rarissima & præ omnibus reliquis, nostro quidem judicio, est sic a mulierum cymba dicta, Vulva marina & concha, a Venere nomen indepta, Venerea vocata. De his duabus conchis otiosas quas-
dam

dam inter exſpatiandum horas perdidimus, quod tamen, ſi ſciverimus, VIRI ILLVSTRES atque MAGNIFICI, nos in his VOBIS placuiſſe, nobis & volupe erit, neque minimam laudem arbitrabimur. Aſpicite igitur, VIRI ILLVSTRES atque MAGNIFICI, ſerenis oculis, clariſſimaque fronte conchulas haſce, viliſſima ſane & levidenſia munuſcula, vix ſatis digna magnorum virorum perſonis; VESTRA tamen humanitas, quam pro nobis expetimus, undique eruditis omnibus notiſſima, nec hancce contemnet operam, cum nec Oceanus immenſus ſemper purpuram nitidiſſimam, uniones majores ſplendentes porrigat, ſed quandoque tan-

tum

tum etiam leviores & abjectiſſimas conchulas, ſpongioſasque frutices e ſinu ſuo profundiſſimo offerre ſoleat. Accipite igitur pro VESTRA humanitate, valete, nec favore veſtro publico noſtros proſequi dedignemini conatus, qui erimus, quamdiu erimus, nullo non tempore

VIRI ILLVSTRES ATQVE MAGNIFICI,

PATRONI AC FAVTORES OMNI OBSERVANTIAE STVDIO PROSEQVENDI,

VOBIS

Scribeb. Brunsvigæ e Muſeo meo d. 8vo April. 1722.

humillime addictiſſimus

F. E. B.

RELATIO



RELATIO BREVIS PHYSICA DE CVRIOSISSIMIS DVABVS CONCHIS VVLVA MARINA NEMPE ET CONCHA VENEREA.

Cap. I. DE VVLVA MARINA.

§. I.

Si voluptatis & deliciarum gratia in marinum amœnissimum exspatiamur regnum, pedemque movemus in littora ejus altissima, oculosque nostros aperimus in tot & tanta eorum munera præclarissima juxta ac præ-

 stan-

ſtantiſſima, rerum naturalium providentiſſima mater, natura offert nobis ex ſuo gremio locupletiſſimo corpora, quæ non niſi inſignem in nobis excitant admirationem, ut ſummum & ſapientiſſimnm rerum ac corporum naturalium omnium conditorem juxta ac artificem artificum omnium maximum merito laudibus ſuſcipere omnino habeamus neceſſuni. Sic immenſus maris profundiſſimi ſinus innumera porrigit piſcium, quadrupedumque animalium genera, infinitam & ſtupendæ ſtructuræ vegetabilium quantitatem, Uniones nitore ſplendentes, corallia purpuræ bellum indicentia, ambram fragrantiſſimi & delicatiſſimi odoris, ineffabiles inſectorum familias, immenſum conchyliorum numerum & infinitæ enarrationis juxta ac recenſionis alia corpora, quæ nec lingua humana eloqui potens, nec calamus ullus exprimere valet, quorumquc adhuc innumerus numerus fundum alti profundiſſimum ſcopuloſque & ſaxa ſubmarina abjectiſſima amans & inhabitans, in nullius unquam hominis oculos incidit, quæ omnia immenſum æquor nobis largitur. Inter cætera autem marina palmam omnibus præripiunt pulchritudine ſua, ſplendoreque anticipant concharum ſpecies, quas recenſere, quouſque tantum ſunt notæ & in lucem ex alto prodierunt, ingentis molis opus requireret, multorumque vita hominum

huic

huic labori non ſufficeret; ſaltim hinc in hoc perbrevi ſchediasmate duas conchas elegantiſſimas hiſtorice pertractare nobis propoſuimus.

§. II.

Varia quidem & multa hinc & inde apud autores, qui de conchyliorum familiis aliquid publici juris fecerunt, partim, non ſolum curioſa, ſed & partim jucunda adnotatu reperire licet; quæ rurſus partim veritati conſentanea ſunt, partim quoque a veritatis tramite multum, imo toto cœlo diſtant & aberrant; ſunt autem conchæ certe naturæ & maris munera elegantiſſime elaborata & conſtructa, domicilia animalculorum ſubmarinorum repentium nulla arte, nullaque artificis vel famoſiſſimi manu facta ac ædificata. Exemplo nobis ſint in præſens Vulva ſic dicta marina & Concha Venerea.

§. III.

Hæc Concha, Vulva nempe marina, primo calamo noſtro ſe ſubjiciat; hæc exactiſſime repræſentare videtur membrum virgineum, pudendum ſeu vulvam dictum, rimam in medio habens, ad cujus latera duo labia vel labra crinibus obſita, a quo & nomen vulvæ hæc con-

cha ob analogiam adepta eſt, præ ſe enim fert rimam elegantiſſimam, duas labiorum elevationes aculeorum horridorum duplici ſerie in utroque latere, ad inſtar pubis, exornatas. Elegantiſſimum ſane naturæ & maris ſimulacrum ſubmarinum; & marina vocatur, a loco nempe natali & patria, quæ eſt in alto profundiſſimo æquoris Amboinenſis collocata.

§. IV.

Refertur a quibusdam ad Concharum Venerearum familiam & claſſem, ſed minus juſte, cum omnes ſic dictæ conchæ Venereæ tantum ſint univalves, hæc noſtra autem bivalvis, hinc ad aliud genus & peculiare, (& concham ſui generis vocandam,) referendum hoc teſtaceum eſſe cenſemus.

§. V.

Ab aculeorum in utroque labio duplici ordine, quibus echini quadrupedis animalis terreſtris inſtar horrida eſt, appellationem quoque CONCHAE ECHINATAE, nominis ſane honeſtis auribus gratioris forſan, quam vulvæ, accepit; cujus echinatæ elegantiſſimam figura ænea exſcriptam ſpeciem videſis apud Celeber. Ruyſchium in Theatro univerſali omnium animalium, lib. de exan-

exanguibus aquaticis, Tab. XIII. cum descriptione, quæ articulo quinto, puncto primo p. m. 42. videnda exstat.

§. VI.

Rumphius, oculatissimus cœcus, in elegantissimo opere, lingua sua vernacula Belgica edito, cui titulus: *Amboinische Raritait - Kamer*, vocabulo Belgico, *een Venus - Schulp met Haair*, id est, *eine Venus Muschel oder Schale mit Haaren*, appellavit, quique eam quoque Tab XLVIII. figur. IV. in t' XXXVII. *Hooftdeel*, pag. 160. icone exprimi & depingi curavit; verba ejus sunt de hac testacea concha sequentia: *Van Venus-Schulpe het man 2. sorten, eene sorte van de Chama aspera*, quam 143. Tab. XLIV. depingit; *een ander sorte het dubbelde Venus Hartje, iß enn sorte van de Pectines, voor eene van deze 60. Ducatons betaalt;* ex qua descriptione insimul & pretium ob raritatem hisce nostris in terris judicare licet; sed hodie hocce pretium in vilius degeneravit; quæ enim in adjacente huic schediasmati tabula exscriptæ prostant, individuum non nisi uno constat thalero. Præter hunc autem cœcum, & Beslerus, qui dum inter vivos obambularet, instructissimum omnium rerum Museum possidebat, ejus speciem habuit, quam videre possumus inter Rariora Mu-

 sei

ſei Besleriani a Lochnero edita, Tab. XXI. figur. XI. p. 75. & ante hos duos jam paucis lineolis ejus deſcriptionem in Celeber. Olearii Muſeo Gottdorffiano Tab. XXIX. figur. IV. vidimus.

§. VII.

Concha hæc purpureo-alba ex Amboina, Aſiæ Inſula, in noſtras, licet raro rarius, apportatur regiones, in cujus maris littoribus tempeſtatum truculentia ejecta, & quaſi evomita colligitur, cum reliquorum marium altitudines iis minime ſcatere perhibentur; magnitudo ejus non ſemper eadem offenditur.

§. VIII.

Hujus duo individua, parum ab invicem abludentia & diſtantia, ſatisque elegantia, apud nos in Muſeo viſui ſe offerunt, quæ quoque in adjecta tabula videre licet; uſum quantum ſcimus, medicum adhuc non invenit; ſed quæritur, cum multis rebus naturalibus ex ſola ſignatura vires adſcribantur medicæ, an non huic quoque, cum ſignaturam Cymbæ virgineæ, ut ſupra jam innuimus, præ ſe ferat, vis quædam medica & ſalutaris, virtusque conveniat in morbis pudendorum virginum æque ac mulierum? ſed alii dijudicent & decidant

cidant hoc. Credimus, cum ſubſtantiam cum reliquis conchis communem habeat, easdem quoque vires, atque alia taſtacea poſſidere, parum ſignaturæ ſoli adſcribentes. Coloris eſt albi cum ſtriis purpureis, uti in præſenti tabula videri poteſt; properamus ergo ad caput poſterius de Concha Venerea.

CAP. II.

DE CONCHA VENEREA.

§. I.

PErbrevem Vulvæ Marinæ exhibuimus cum deſcriptione delineationem, nunc & de Concha Venerea, quam rubrica indicavit, quædam nobis dicenda reſtant. Concha antecedens bivalvis fuit, hæc tantum univalvis eſt, hinc plane diverſum & peculiare genus ab anteacta, uti jam Cap. antecedent. § IV. indicavimus, conſtituit.

§. II.

Veneream vocitant autores hanc Concham, a Vene-

a Venere, pulchritudinis, deliciarum ac voluptatum Dea formissima. An vero hæc Concha ex eo hoc nomen indepta, quod ex maris ſpuma orta ſit Domina maris, ſecundum antiquiſſimos fabularum conditores; vel quod Conchæ, navis loco, elegantiſſimi naturæ operis, invecta a poetarum pictorumque familia fingatur & pingatur, vel quod Veneri, ſecundum quosdam, Concha grata ſit, decidere & dijudicare hoc loco nolumus. Credimus autem potius, quod pariter ac Vulva Marina, nomen a ſignatura & analogia cum virginum pudendis acceperit, repræſentat enim vulgo ſic dictam rimam magnam cum labiis, non aculeatis, uti in antecedente vidimus, ſed ſaltim in margine crenatis, quæ rima magna quibusdam Venus audire ſolet, ſæpiſſime quoque Venus pro pudendis ſexus ſequioris apud poetas & alios ponitur.

§. III.

Variis gaudet ſynonymiis, ſic inter veteres pœta quidam CONCHAM ERYTHRAEAM, quod in maris rubri littoribus frequens adſit, vocitavit; evolve, ſi placet, Hylen pœtriam, alii ſcribunt Hedylen, tractantem de Glauco, maris Deo, veniſſe eum nempe in antrum Scyllæ, cujus amore captus erat &c. vide quoque Attæneum lib. 7. ubi multa alia

alia de hoc Glauco referuntur, Bellonio audit LAEVIGATORIA, quod in Ægyto ad lævigandam papyrum & telas coloribus permixto gummi confectas usurparetur; aliis LAEVIGATA, quia lævis, quasi politurae subjecta fuisset; Ulysses Aldrovandus in histor. natural. de animalibus exanguibus, crustaceis, testaceis & Zoophytis lib. III. cap. LXXXII. p. 180. inquit: quod passim in omni Italia ejuscemodi genus conchæ vendatur, & a mulierculis ematur ad polienda sua ornamenta linea, Germani vocant, *vveiß Zeug pletten*, ut splendeant; item CONCHA PORCELLANA, vel a porci cujusdam rostro, vel quod polita, lævis & splendens sit, quasi vasa Indorum porcellanica; sed credimus eandem cum antedicta voce, Concha nempe Venerea, quæ a Venere i. e, pudendis, habere etymologiam, & a porco, quo nomine pariter natura muliebris vel pudendum gaudet, denominationem accepisse, sicque potius a porco virgineo & muliebri, quam porci ore vel porcellanicis Indorum vasis hoc indeptum esse cognomen, quod nobis firmiter persuademus.

§. IV.

Dividuntur hæ conchæ in majores & minores; minores BELLICVLI vel BELLIRICI audiunt MARINI, sic dicti, eo quod olim inter medica-

menta cosmetica, ad faciei & manuum nempe cutim glabram, politam, claram & perbellam reddendam usurpati fuerint; sic prostat compositio unguenti sic dicti Citrini, quod hos recepit; sunt, qui putant, hos belliculos marinos veterum fuisse vel esse recentiorum sic dictas Fabas marinas. Vocant volgo quoque CALCVLVM VTERI vel MATRICIS, *Mutter-Stein*, quasi utilem in pudendorum & uteri affectionibus; superstitiosa enim vulgi cohors, quæ vel nunquam uteri fabricam vidit, figuram hujus conchæ analogam mulierum matrici esse putat, hinc ab appenso de corpore hoc calculo, liceat nobis vocabulo hoc uti, in morbis matricis passioneque hysterica saluberrimum sibi inde promittunt eventum; sed calculus hic, abusive sic dictus, præter duritiem, nullam cum calculis habet affinitatem. Ipsi novimus mulierem conjugatam succiplenam, dum Weferlingæ, Ducatus Halberstadiensis oppidulo, adhuc praxi medicæ incumberemus, quæ, quoties affectu sui sexus molestissimo, uterina nempe invaderetur, passione, statim ad hanc concham, quasi sacram confugiebat anchoram, & non tantum portiunculam abrasam cum vehiculo deglutiebat, sed & deinde extemplo statim hocce, sua opinione summum & specificum amuletum, ut olim Ethnicorum quorundam mulieres priapum, de collo pendebat, quo levamine vero, nescimus; nos, minime superstitionis amantes,

tes, hocce cum plurima amuletorum parte inter medicamenta referimus superstitiosa, cum sola signatura corpori nullam afferre possit vim, neç de se spargere; modo dicta mulier tanti æstimabat hocce anthystericum & uterinum medicamentum, ut persuasi scribimus, vel viginti non vendiderit thaleris.

§. V.

Est autem concha univalvis simplex, id est, unica ovali subrotunda constans valva, rimam magnam habens, cujus duo labia in extremitatibus dentata sunt vel incisuras habent dentatas & striatas; substantia testæ est valde dura; & quod inprimis notatu dignum, tantæ duritiei, ut nullos insectorum dentes morsusqne admittat, cum omnes reliquæ conchyliorum species reperiantur quandoque tractu temporis longo arrosæ a vermibus, tineisque concharum marinis, quæ eis arrosionibus juxta ac perforationibus elegantiam pristinam naturalem demunt & corrumpunt, hæc tamen nullibi unquam exesa & corrosa percipitur vel invenitur; variat magnitudo, ob quam in majorum & minorum familiam paragrapho antecedente divisimus; Ad figuram tandem quod attinet, habet ovalem subrotundam, prona parte patulam, posteriore aversa clausam & oviformem; coloris intus plerumque candidi splenden-

tis, exterius albi, rubri, purpurei, punctati, maculati, ſtriis nigris albis mixtis, variisque aliis modis variegati, imo coloribus abundat, pro varietate ſpecierum, vel centenarium numerum longe ſuperante, diverſiſſimis; teſta eſt politiſſima & lævigata, unde & lævigatoria, ut ſupra jam una vice innuimus, recte appellata, & ob ſplendentem, lævitatem oppoſita colorata ſimulacra, imaginesque pictas, non aliter ac ſpeçulum, reddere ſolet, licet paululum obſcure.

§. VI.

Varias, imo plures quam centenas, habemus ſpecies, & inter has quædam ſunt elegantiſſimæ, quas autem omnes hic loci recenſere non opus, cum maxima earum pars apud Ulyſſem Aldrovandum, Rumphium, Gesnerum, Henricum Ruyſchium in theatro univerſali omnium animalium, & Rondeletium, videnda ſit. Varia marium alta has nobis porrigunt conchas, inter quas tamen ex Perſico ſinu, mari rubro & Amboinæ, Inſulæ Aſiæ, littoribus allatas reliquis elegantiores, læviores & coloratiores deprehendimus.

§. VII.

Varii uſus, variæque virtutes medicæ teſtæ hujus

hujus Venereæ conchæ adſcribuntur, ſic ad laxitatem alvi, quæ diarrhœæ nomine in ſcholis Medicorum venire ſolet, ſtipandam & ſiſtendam pulverem ejus ſalutarem eſſe ſtatuunt; ad ulcera deinde inteſtinorum atque uteri exſiccanda quoque in pulvere; item ad oculorum morbos ab ulceribus comitatos; pulvis enim ejus alcoholiſatus exſiccat, abſtergit ulcera & abſorbet humores acres roſivos, ut aliarum concharum pulvis; Externum quod attinet ad uſum, dentifriciis adhiberi poteſt; item majores domeſticum habent uſum ac œconomicum, ad lævigandа enim, ut ſplendeant, lintea & papyrum quibusdam in terris, uti Italia, &c. adhibent, ad quam priorem lævigationem apud nos hiſce in regionibus ferrea quædam inſtrumenta igne candefacta & involucro orichalceo vel ferreo polito indita, vulgo *Plette*, *Pletteyſen*, ad poſteriorem vero, *zum Pæppierglætten*, dentes lupi, apri, aliorumque animalium in uſu habent. Vectores & aurigæ minores ephippiis & habenis, partim ornatus gratia, partim ex ſuperſtitione quadam, dum credunt, equos his ornatos melius currere, meliusque currum trahere poſſe, nec nimis avide bibere & haurire aquam, *ſie verſœffen ſich nicht leicht*, peculiarem quoque eis appellationem dedere & nominarunt, *Sclangen - Kœpffe*, arbitrantes eſſe ſerpentum ſceleta capitum, ſed falluntur; putamus forſan ab analo-

 gia,

gia, quam cum capitibus viperarum habent, ſic dictas; appendunt, ita ut ſæpius in uno ephippio & freno cujusdam vectoris plures, quam ducentas vidimus ejusmodi conchulas minores unius ſpeciei. Plura de hac ſuperſtitione vide *in der geſtrigelten Rocken-Philoſophia.*

§. VIII.

Compoſitionem nullam officinalem, præter Maſſam pillularum de Bdellio & unguentum ſic dictum Citrinum ingreditur, in cujus vicem tamen matrem perlarum ſubſtitui & ſupponi quidam jubent; ſunt autem & unguentem & pillulæ ferme plane abrogatæ. Æthiopes elegantiſſimis albis, quas peculiari nomine, vernacula ſua lingua, Buzios vocitant, nummorum, ut Americæ incolæ nuces Cacao, loco utuntur, & pro iis aurum permutare, liberosque ſuos vendere dicuntur. Ornamenti gratia agglutinantur cum aliis teſtaceis & cruſtaceis marinis antris ſubterraneis, quæ nomine *der Grotten* vulgo veniunt, uti talia videre licet in viridario Saltzdalumenſi, Ducatus hujus Brunsvigii Celeberrimo, quod certe mundi miraculum appellari optimo jure meretur.

§. IX.

Porro hæc Concha varios habet gyros, variosque

riosque anfractus, qui in fracta in apricum veniunt & evidentissime videri possunt; auribus proxime & immediate apposita, in primis major quædam species, continuum susurrum, continuum strepitum de se spargit, & cum auribus affixis communicat, hinc inscii sibi persuadent, se maris, ex quo hoc testaceum desumtum, æstum ac tempestatem murmurantem audire posse, *sie könten das Meer - brausen hören*; qui tamen susurrus ex rationibus physicis & structura anfractuosa haud difficili negotio decidendus.

§. X.

Præterea, licet rarissime, hoc marinum testaceum petrefactum reperitur, cujus exemplar quoddam etiam apud nos in Museo prostat, & in thesauris subterraneis Ducatus Brunsvigii, qui sub prelo sudant, vivendum se sistet; præter hoc nostrum Scheuchzerus quoque, Helvetiæ, orbisque totius eruditi decus ac ornamentum, in vindiciis & querelis piscium Tab. V. p. 31. Concham Veneris elegantissimam lapideam delineavit, præter hæc duo plura non æque apud autores vidimus.

§. XI.

Et hæc sunt nostræ, quæ de elegantissimis con-

concharum bigis, Vulva marina & Concha Venerea nempe, in medium proferre voluimus; meditationes properante ſatis volanteque calamo in chartam conjectæ. Suſcipite, VIRI ILLVSTRES atque MAGNIFICI, hoc, qualecunque eſt noſtræ in VOS pietatis & obſervantiæ argumentum; manumque aliquando & oculos hiſce pagellis admovere, ubi graviſſimæ rerum VESTRARVM curæ paulisper diffugiunt, ne dedignemini, nosque ſimul VESTRA benevolentia, qua nihil nobis poteſt eſſe gratius, proſequimini.

F I N I S.

